



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvngensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1657

Cap. XXVIII. De rationibus reddendis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

etiam cuius alteri Sacerdoti, Confessionis vel aliorum Sacramentorum administrationem, aut Verbi divini prædicationem in Ecclesiis Nostræ Diocesis assumere, nisi examine præmissio, & approbatione Nostra, vel Nostræ in Spiritualibus Vicarii, in scriptis obtenta.

CAP. XXV. *De libris necessariis Parochorum, & Catechismo.*

Hortamur etiam Parochos, ut libros necessarios & ad officium suum exequendum commodos, sibi comparent, ac, præter utrumque Testamentum, approbatæ translationis, Latinæ & Germanicæ, Sanctorum Patrum libros, quoscunque pro facultatibus suis poterunt, comparare sibi studeant; præsertim eos, qui pastoralia officia exercuerunt, & ad hæc in scriptis suis excolenda collimarunt, ac præsentis statui Ecclesiæ ad defensionem fidei & restitutionem morum ac disciplinæ Christianæ plurimum conferunt. quorum indicem, si ita res postulet, ipsis posthac dabimus.

2 Parochi quoque & Curati, Catechismum Canisii, quem edi & distribui curavimus, diebus Festivis ac Dominicis, tempore congruo, pueris & rudi populo proponant & diligenter explicent.

3 Volumus quoque, ad incertitudinem omnem multaque incommoda præcavenda, ut omnes Pastores & Curati tres libros habeant, in quorum uno baptizatorum nomina cum patris, cum anno & die & parentum nominibus, scribantur; si sit autem illegitimus partus, matris tantum nomen adscribatur.

4 In secundo referantur nomina eorum, qui matrimonio junguntur, similiter cum anno, die, omnibusque parentum seu proximorum cognatorum, & aliquot testium.

5 In tertio, juxta ordinem domorum, vicinitatum ac familiarum, conscribantur omnium & singulorum Parochiali curæ subjectorum nomina, cum die natiuitatis & baptismatis; & si ad rationis annos pervenerint, singulis annis per notam illis adscribatur, qui peccata sua confessi fuerint circa Pascha & communionem susceperint, & aliorum nomina qui confessi non fuerint nec communicaverint, & infra Pascha & Pentecosten Nobis, aut Nostræ in Spiritualibus Vicario, in scriptis exhibeantur.

CAP. XXVI. *De promulgatione & insinuatione rerum necessariorum à Pastoribus facienda.*

His quoque Pastoribus & Curatis serio injunctum volumus, ut, quæ in statutis Synodalibus, aut alias à Nobis constituta & promulgata sunt, aut quæ ex Concilii Tridentini

decretis ad Parochianos suos pertinent, ipsis intimare & inculcare non omitant.

CAP. XXVII. *De Provisoribus, Structoribus, seu Magistris fabrica.*

Provisoribus seu Ædilibus & structoribus Ecclesiarum & Capellarum (quos non alios quam Catholicos esse volumus,) serio injungimus & mandamus, quatenus Ecclesias, Capellas, Oratoria, Altaria, Cœmeteria, Campanas, Fenestras, Sacerdotalia paramenta, & quæcunque vasa ad divinum usum & Ecclesiæ Sacramenta deservientia, fieri, reparari, restaurari, consecrari & renovari faciant & procurant, & ad Pastorum & Curatorum requisitionem in hoc se faciles & obediens præstent; alioquin pœnam Nostram arbitrariam pro modo negligentia seu contumacia experturi.

CAP. XXVIII. *De rationibus reddendis.*

Quibus etiam sub districtione eadem mandamus, ut Ecclesiæ reditus non in alios usus extraneos convertant, & singulis annis, in præsentia Parochi & ad hoc deputatorum, accuratas & particulares rationes reddant in scriptis, conservandas in cista aliqua templi; quas, requisiti, Nobis aut Nostris ad hoc deputatis, facile exhibere possint.

CAP. XXIX. *De Archivio, Inventario, & Transumpto Literarum, Monumentorum & Registorum.*

Litteræ Originales, Registra, & alia quæcunque monumenta & instrumenta, in Archivio vel cista, tribus differentibus seris custodita, diligenter asserventur; cujus unam clavem habeat Pastor, alteram Senior Ecclesiæ provisor, seu ædilis, tertiam ejus Senior collega obtineat; nec unquam Archivium vel cista aperiatur, nisi singuli clavium custodes personaliter sint præsentis.

2 Præter vero summariam illam designationem reddituum Pastoralium & beneficiorum (de qua supra c. 17;) harum omnium literarum, monumentorum, instrumentorum, jurium, reddituum, obventionum Inventarium quamprimum opera Pastorum in præsentia Notarii ubique conficiatur, & paulatim etiam in authenticam formam à Notario transumatur, sicuti etiam quarumcunque rerum Ecclesiasticarum mobilium, calicum, corporalium, purificatoriorum, sanctarum Reliquiarum, vestium sacrarum, ornamentorum, librorum, aliorumque factorum instrumentorum, repertorium instituat, ut Ecclesiarum necessitates eò magis agnoscere ac juvare possimus.

CAP.